



The Holy See

PAULUS PP. VI

EPISTULA

*HODIE SOLLEMNIS**

AD E.MUM P. D. BENEDICTUM S. R. E. CARDINALEM ALOISI MASELLA, PRAEFECTUM
AERARIIS APOSTOLICAE SEDIS PER INTERREGNUM,
DECEM IMPLENTEM LUSTRA,
EX QUO EPISCOPALI ORDINATIONE AUCTUS EST.

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Hodie sollemnisi idemque perquam raro celebrandus recurrit dies, cuius tibi exstat grata memoria, hoc anno autem piis atque effusioribus transigendus laetitiis: decem enim implebuntur lustra, ex quo episcopali consecratione auctus es.

Perquam gavisi, et hanc pulcherrimam egregiamque nacti occasionem, tibi, venerabilis Frater Noster, iterum palam aperiendi animum Nostrum, bene ominatis verbis quae profecto caelitus veluti affiata caritas inspirat, tibi cuncta fausta, salutaria, desideriis sanctis optabilia, ad veram felicitatem tuam pertinentia, ominamur; atque adeo orituram lucem eupimus divinorum munera invocatis divitiis locupletem et perpetua recordatione honorabilem.

Peractos recensens labores, quibus diuturnam Christi et Ecclesiae militiam tot annos nobili tasti, aequum solacium praeclarae conscientiae capies, utpote servus bonis ac fidelis, multis perfunctus muneribus, egregie semper de Apostolica Sede meritus.

Quare nihil tibi magis cordi sit quam, uti adventantem prospiciens aeternitatem, vel tacitus vel loquens, boni, recti, pulchri Fonti Principioque iugiter fac inhaereas, atque ea quae, magister virtutis, ipse docere debes, exemplis vitae et sapientiae plenis verbis, semper et universis, qui te adeunt vel circumstant, prosis: «Lux iustorum laetificat ... lex sapientis fons vitae» (1).

Quod si alacriter feceris, scito a te profectui in regia via evangelici ascensus consultum iri, atque te amantibus votis Nostris, quae per occasionem promimus, immo, quod est potissimum, Dei beneplacito plane respondere.

Testis interea praecipuae benevolentiae Nostrae speique optimae auspicium sit Apostolica Benedictio, quam tibi, venerabilis Frater Noster, itemque cunctis, qui quinquagesimum episcopatus tui natalem, festiva gratulantium corona, colent, libenter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXI mensis Decembris, anno MDCCCCLXIX, Pontificatus Nostri septimo.

PAULUS PP. VI

*A.A.S., vol. LXII (1970), n. 1, pp. 36-37(1) *Prov. 13, 9, 14.* © Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana